

64 99
INCOMPARABILI THEOLOGO
D. JOHANNI HÜLSEMANNO,

DE ECCLESIA CHRISTI IMMORTALITER
MERITO &c.

MECÄNATI AC HERO SUO OPT. MAX.

DE QVARTA FILIA

DOROTHEA

ELISABETHA,

Virgine Sexûs sui principe

CELEBERRIMO ITIDEM AC MERITISSIMO
THEOLOGO

**D. ABRAHAMO
CALOVIO,**

Circuli Elect. Saxon. Superintendenti
Generali, &c.

in matrimonium felicissimè elocata,

gratulatur

humillimus devotissimusq;

Cliens

THEODOSIUS LEHMANNUS,

Annæmontanus.

LIPSIÆ,
Typis JOHANNIS WITTIGAU,
ANNO M DC LIX.

Je20



il nisi terribiles nunc undiq; fama tumultus
Disserit, ut stygiis iterum se extulit umbris
Irrarum attonitis radians discordia flammis,
Excivitq; avidos studia in Mavortia reges.

Qvale chaos rerum nostro moliris in ævo
Per tot acuta tuæ, belli pater impie, dextræ?
Non tibi, læve, tui, satis, intra limina regni
Thracas inhumano flexisse ad prælia cultu?
Inq; suum jugulum totos acuisse per annos
Tela Othomannigenum? Non hic pellacis Iberi
Gallorumve canam gladios, rabiemq; cruentam.
Ecce, & qva gelida sitiunt statione Triones,
Spumeus adversas Nereus (heu fata!) carinas
Volvit, & algenti diducit in æqvore bellum,
Nullaq; placatos illic videt insula Divos;
Dum miles miseris campos cum messe colonis
Diripit, & Dano neq; vicqvam debita sceptro
Exigit obseqvia, & crudelibus intonat armis.
Ergo arces vallumq; petunt, infestaq; signa

Qva potè, ab oblesæ pellunt munimine portæ.
Aspice, Cimbrorum qvalis sub pondere virtus
Crescat, & horrendis opponat pectora Gothis?
Aspice devotas in cuncta pericula dextræ!

Qvanta tamen mileri cecidit nunc gloria regni!

Aut quantum placidæ fax bellica distat olivæ?
Hospita Diis tellus, mea Misnia, tene tuorum
Decipit alta qvies? an formidabile nomen
Martis & exacti restant simulachra pericli?
Tu procul in tuto nunc naufraga littore vela
Prospicis, & madidis monstras laxa impia nautis.
Alma salus, divesq; labor se numine misto
Indulseré Tibi: non hic sua tela sonanti
Illidit clypeo, cædesq; instaurat Enyo:
Nec nisi solertis tantum fert arma coloni
Pingye solum, & duro tantum de vomere vulnus.
Majus habes: verus sacris honor excubat aris,
Lex populos armata regit, JANIq; GEORGI
Tityrus in folio vultus venerare avito.

Ast ubi tē, nostræ decus indelebile terræ,
Aut qvem te memorem? dic, ô HÜLSMANNE, salutis
Grande meæ columen, placataq; flecte clienti
Lumina, qvem series meritorum immensa tuorum
Egit in asvetas in carmina cogere vires.

O Sol,

O Sol, ô nostræ Sol illustrissime gentis?
 Invida qvem multis vocat invitatio votis
 In terras frustrata alias. Qvo sidere felix
 Misnia præstringens aliis sua lumina terris
 Omne refert punctum, meritoq; superbit honore.
 Te tua si reliqvis immiscuit infula mystis,
 Non alia es facie, qvam qvæ per templa relictis
 Summus Aron adytis gradiens non numine vano
 Terruit Isacidas. Qvalem Te Ecclesia sensit
 Heroem! calami dum prorsus inermibus armis
 Monstra Stygis, CALVI socios, Latiumq; BAALEM
 Sternis ovans, vinciq; doces, mixtamq; cohortem
 Conficis in turpein Svada penetrante ruborem,
 Non aliter Perleus (si fas conferre profanis
 Sacra) suam monstri traxit de fauce marini
 Andromedam, viridiq; extrema per omnia dextra
 Tela reluctanti fixit fatalia dorso.
 Qvæ non justa tibi subdunt suffragia laudum
 Laurigeros apices? qvi non Te, summe virorum,
 Constituunt famæq; lux fortisq; Levanum
 Theiologi? qvam densa tuo se turba favori
 Ingerit, & tacitis implet tua limina votis?
 Nec tua te vilem virtus sinit ire, potentum
 Cum trabeata tuos sequitur reverentia vultus,
 Inq; tuum jurat Phœbi grec omnis honorem.
 Qvor precor Heroum castus sese ambitus ædes
 Exerit has circum, thalamiq; jugale pudici
 Sollicitat foedus cum tanti prole parentis?
 Scilicet imbelles nunquam genuere columbas
 Regales aquilæ. Virtus se stirpis in omnes
 Insinuat ramos, ducitq; sub ardua luxum.
 Ergo amor est cunctis patriam cum sanguine fainam
 Participare, suos & sublimare nepotes.
 Ecce, rei specimen! Generis se illustribus addit
 Maxima Leucoreæ lux illa, CALOVILIS, aræ,
 Quem mea ter digno conata melismate Clio
 Dicere, ter mediis muta in conatibus iram
 Sensit, Phœbe, tuam, & vocem stupelacta repressit.
 Hic parili sanctam tecum, ô HÜLSMANNE, Sionem
 Portat amans humero; qualis supera ardua fulcit
 Hesperidum genitor. Vos, ter tria numina, testor,
 HÜLSMANNO socero gener an qvis dignior? an qvem
 Hicce gener socerum deceat magis? Ecce, Jehovæ
 Qvam merito similes componit fœdere mentes!

Spons,

Sponle, tua est Juno; non hic Ixionis umbra.
Fingit in amplexu vacuæ ludibria nubis.

Juno tua est, nostræ donum venerabile pacis,
Cui non centenæ meliori ex agmine Nymphæ
Se conferre queant. Jamq; hora Hymeneia posti
Serta dat, & qvinos fax pronuba ventilat ignes.

Jam video prono famulantum examina collo

Undiq; festivam tectis disponere pompam.

Quanta leges populi geniale auctura triumfis
Lætitiam patulas angustat protinus ædes!

Ipsæ coronata plectrum testudine ducens

Phœbus adest, castoq; parat sua vota cubili.

Jungite concordes in fœdus amabile dextras,

Cœlica perpetuum cui spondent fata favorem,

Jungite lo! dextras, non vestros turbet amores

Ulla Stygis rabies mediis emissa cavernis.

Exoptata qvies felicibus ebria fatis

Adsit & arcanis cumulet convivia donis,

Et Luçina suo nostris in tempore votis

Annuat. O similes vobis educite mentes!

Jungite concordes in fœdus amabile dextras,

Avertat melior nigræ mala fascina lingvæ

Exitus, & vestris osoribus incubet Ate;

Cunctaq; constantem servent bona fata tenorem.

Jungite concordes in fœdus amabile dextras,

Tuq;, ô Nympha, tuum fausto seqvere omne Sponsum

In patriam, formosa, tuam. Vestigia campis

Imprimet, & raptis mox floribus obruet Auster.

Plura pudor vatem prohibet cantare. Parenti

Gratus honor lingvæ blæsæ est, quem flammea corde

Protrudit pietas. Nec vos hoc spernите munus:

Sæpe etiam argutos inter strepit anser olores.



Spoule

64
99.
INCOMPARABILI THEOLOGO
D. JOHANNI HÜ

DE ECCLESIA CHRIST
MERITO
MECÄNATI AC HERO

DE QVARTA

DORO

ELISABE

Virgine Sexus f

CELEBERRIMO ITIDEM
THEOLO

**D. A BRA
CALO**

Circuli Elect. Saxon.
Generali

in matrimonium felic

gratulatur

humillimus devot

Cliens

THEODOSIUS L

Annæmonta

LIPSIA
Typis JOHANNIS
ANNO M DC

